

Q. D. B. V.
DISSERTATIO

De

PARADOXA
CARTESII
PHILOSOPHIA,

QUAM

Consentiente Amplissima Facult. Philos.
in inclyta Academia Giessena,

PRÆSIDE

JOHANNNE KAHLER,
Philosoph. Magistro.

Defendit

JOH. JOEL MILCHSACK,
Marpurgensis.

Die 1. Julii, An. 1673.



GISSÆ HASSORUM,

Literis FRIDERICI KARGERI, Acad. Typogr. Ordin.
Anno M DC LXXIII.


RINTELLI,

HERMANNI AUGUSTINI ENAX, Univ. Typ. An. 1710

Misc. Fasc. II. 6.




Philos.
B.
10, 12



Is sex & unum abiére lustra, quando ex antiqua & nobili inter Pictones & Armoricos gente in Gallia natus RENATUS CARTESIUS, illustre inter Gallos nomen ac gentis suae decus coepit in clarescere. Hic liberè (ut oportet in libera literarum Republica) Philosophandum esse judicans, optima multorum gratiâ libertatem, scribendo Philosophiam à Vulgarè nonnihil diversam, exercuit. Vix autem scriptis suis Orbi innotuerat, dictus est à multis Scepticus, & Atheus, turbarum inter Eruditos fax, seditionum Æolus, & quid non? Quod is agrè ferens, dentes dentibus opposuit, & iniquam accusationem rabiemq; quâ insontes ut plurimum allatrari soleant, dixit; Hinc Verborum incendium! Quod tantum abest, ut affusa verborum lymphæ extinxerint, ut potius majores excitarint aestus. Aestuarent enim & nescio quo vento afflata arserunt hominum mentes, tantis se insectantes Convitiis, ut non hominum in homines invectivas, sed Daemonum contra Demonas furores dixisses ac rugitus. Nondum verò sic odii finis; Hæsit enim furor mentibus, & ita hæsit, ut in ossa quasi se vires & extinctorum cineres, turbaturus, si possit, placidam illorum requiem. Tanta sc. mortalibus ira! Mihi in hac Dissert. de Parad. Cart. Philosoph. breviter acturo, nemo successebit, si paulò modestius, & non, quæ literas inquinant, convitiis, tantum ingenium tractem. Interea tamen ubi in diversum ierit à Veritate, autoritate ejus non motus, falso assensum veroque dissensum negabo, equè ac ille ratus, Philosophandum esse liberè. Dum verò rem, dubium an multis gratam an odiosam, aggredior, æquum mihi omnium iudicium exortum volo.

Qu. I.



Qu. I. An Cartesius inter Atheos sit referendus?

§. I.


Quid sint hi famosi homines, quidve monstri alant hæc hominum monstra, liquet ex eruditorum scriptis. Atheistæ sunt, ob ἀθεότητα, (malum, quo pejus è suis tenebris tenebrarum princeps non evocavit) ita dicti. Dicam explanatius: Homines sunt justo Numinis judicio excæcati, deferti, ejusque sensu cassi. Hi sunt, qui mortis & judicii immemores, cœli & tartari securi vivunt in diem, commutantes veritatem Dei voluntario mendacio, opposito notitiæ & veritati de Deo, hincquè traduntur in reprobum sensum, indurantur, sensus illorum obliquantur, principiaquè agendi in iis invertuntur. Utut non planè extingatur & eradicetur in illis semen veri insitum, neque constans & perpetua sit sententia Dei existentiam negans, ad tempus tamen dari posse tales homines B. Hülseman. Brev. Ext. c. 2. nō improbable judicat, add. Scherz. Colleg. Anti-Soc. p. 31. cum eousque hominum malitia impulsu damnati spiritus assurgere queat. Hinc tot subtiles de Atheismo extant disputationes, & egregii tractatus. Hinc Theologi & Philosophi è suis Cathedris execrabile hoc malum meritò execrantur, eoque majori fervore, quo infamia atheismo loca illis sunt viciniora. Sunt etiam qui è suggestu machinationes Atheorum destruunt; Illos autem culpât Voëtius, periculosum esse reputans, rudis plebeculæ aures (aliàs nimiū curiosas) prolixâ de Atheis dictione implere, multò

A 2

verò

Quid sint
Athei?

Dantur ho-
mines ad
tempus Dei
existentiam
negantes.




verò consultius agi, si coram plebe inscia, & ne quidem per dies vitæ de his hominum Portentis cogitante, hæc reticeantur. Ita sanè est, & rectè & vera hîc loquitur Voëtius, non enim sum nescius, quid quandoque Vulgus ad ejuscemodi sermones: Neoplasmata sc. dicebat fando inaudita, neque credebat, talem tantumque reperiri impietatis alastora, qui Deum negaret. Sed hæc non exagitabo, redeundum mihi ad Atheos, quos ut intimius cognoscas, diversa tibi sistam illorum agmina, id enim postulare videtur proposita Quæstio.

§. II. Advertendum igitur, Atheos esse vel directè tales, vel indirectè, talia principia admittentes, ex quibus Atheismi convinci possunt; vel simpliciter ignorare Deum, vel affectatè, externa sc. professione, dictante aliud conscientia, &c. Edicite mihi, quicumque estis justi rerum arbitri, quò Cartesium referre velitis? ad prius agmen non potestis, nec etiam vultis. Sicut nec ad illud genus, quod simplici ignorantia Numen nescit, quis enim nostrum penitissimos mentis recessus scrutetur? Affectata autem ignorantia, & perversa Numen oppugnandi libido de eo probabitur nunquam. Manet ergo Quæstio: num iis associandus sit, qui indirectè existentiam Numinis impugnant, talesque fovent hypotheses, è quibus atheistica illa lues propullulat. Ita indubitanter asserit Voëtius, & cum eo alii. Bene an secus? non disputo, cum deceat ab illorum censura abstinere. Nō possum tamen, quin hîc exhibeam, quod habet magnus noster Calov. T. 2, p. 113. *Renatum des Cartes (ait) Atheis*

Cartesius
non est inter
Atheos referendus.

ac-





accenset Voëtius lib. de Philosophia Cartesii, sed protestatur ille contra de iniquitate, Epistol. ad Voët. ait que solum: Difficile esse atheos solidè refutare, ac existentiam Dei probare. Fallor? an Vir judiciosissimus nihil excipiendo contra resp. Cartesii iniquitatem accusationis Voëtianæ agnovit? Agnovit fanè celebris Gröningensiū Doctor S. Maresius Fascic. Myrrh. refut. Parad. 2. p. 67. scribens: Rarum illud & excellens ingenium omni favore potius excitari debuisset, ad Philosophica studia excolenda & ex spinis Jesuiticis extricanda, ad quod factum erat, quàm premi invidia odio & calumniis atrocissimis. Ita Maresius, Marpesiæ instar cautis aliàs Voëtio resistens, scribit: nec fortè ex quibusdam immerito; Si quis enim duos libros pro Voëtio Ultrajecti editos, unum de Confrat. Mar. alterum de Philosophia Cart. perpenderit, næ is ab eorundem autore in multis Cartesium acerbè exagitari, ejusque famam indignè allatrari asseverabit, ac insuper de vana Vanini & Cartesii comparatione ultrò testabitur.

S. Maresii judicium de Cartesio,


§. III. Quod si tamen quis ideò reprehendat Cartesium, quod *difficile esse Atheos solidè refutare, ac existentiam Dei probare* dixerit; Is dispiciat, quid, si quis eum de grege horum Porcorum adoriatur, tam expeditè dicturus sit. Fingo, Atheum quendam argumentum ex contemplatione Creaturarum desumptum ita impetere: Ex hypothesi quorundam Doctissimorum Scholasticorum Deus ab æterno potuit producere mundum, igitur ejus naturæ non repugnat, esse ab æterno. Obscurum igitur manet, an

cœ-



Athei argu-
menta pro
mundi æter-
nitate in ma-
lum sensum
detorquent.

cæperit aliquando hoc universum. Sunt rationes
pro antecedente ex Scholasticis: 1. Deus omnia potest,
quæ non includunt contradictionem, tale autem est
mundum semper fuisse. 2. Mundus qui tot annos
duravit, & durabit in æternum, est æternus à parte
posteriori, similiter æternus esse potuit à parte ante-
riori, antecedens rursus ex Scholast. constat. 3. Si causa
habet æternam virtutem, nihil prohibet etiam effe-
ctum ejus esse æternum, imò posita æternitate cœli,
Solis, ignis, sequitur æternitas motus, splendoris &
caloris. Deus autem æternam habet virtutem E. 4. Ex
quo Deus potuit velle agere, ex eo potuit agere,
(nihil enim ab æterno fuit, quod voluntatem ejus ab
agendo posset impedire,) atqui Deus potuit ab æter-
no velle agere E. potuit agere. Ex his inferet, non
esse contra naturam mundi, æternum esse, quia aliàs
nec Deus ei (secundum Scholast.) æternam duratio-
nem conferre posset, esse tamen illiquidum, an fuerit
ab æterno, id enim se nescire, neque determinare, sed
destruere saltem argumentum: *Mundus non potuit
esse ab æterno E. datur aliud ens quod est Deus & ab
æterno.* Si urgeas, quasdam res in mundo corrumpi,
quasdam generari, E. illas ab æterno esse nō potuisse.
Promptum ei erit dicere, largiri se se, quædam in
mundo ita fieri, sed negari consecutionem, si mundo
debeat tribui id, quod tribuitur rebus in mundo, cum
nec omne quod radiis solaribus, contingat etiam Soli,
illis enim accidit repercussio, non huic: Pergis autem:
Quis ergò res universas conservat, & virtute agendi
instruit, si non sit Deus? Quomodo vitabitur absurd⁹




in infinitum processus, si non subsistendum in aliquo non factò; Ad hæc respondebit, aut hæc ita fortuito fieri, aut forte supponet tantoperè commendatum (non dum tamen evictum) ab Helmontio aliisque *spiritum universi*, demonstrando ex eodem nobilissimas actiones, vires etiam Angelicas excedentes, ut propterea non opus sit, ad Deum recurrere. Nequè adeò absurdum putabit processum in infinitum, cum revera detur talis progressus in divisione partium materiæ, (probante *Bened. de Spinoza*) quidni ergò & hic? Superest igitur ut ad conscientiam confugiamus, hujus magnam esse vim, qui nescit? ea enim reluctantem trahit, fodicat, impellit, mordetque &c. Sed & hanc quosdam perfrictæ frontis homines ejurare quis ignorat? Hi fortasse contemptu potius quàm rationibus sunt refutandi? Verùm nec sic dantur in ruborem, qui pudorem dedidicerunt, fas esse rati, sui contemptum vicissim contemnere. Heu quàm difficile est, capere flexuosos hos serpentes à stygio motore motos! Plura in hanc rem non adduco, legat qui vult Voët. confitentem, Atheorum refutationem esse difficilimam. Interim hic magno-perè non commendo argumenta à Cartesio contra Atheos allata, hoc urgeo: Si Athei sunt, qui difficulter eos refelli posse existimant, quique Atheismum rationibus non convincentibus & insufficientibus impugnant, etiam pro Atheis habendi sunt, qui infeliciter unquam contra eos dimicarunt. Licet autem fatear, laboriosum esse hoc contra Atheos institutum, nec minus speciosum, quod pro iis humana solertia

ex-

Ostenditur.
difficile esse;
Atheos
solidè refutare,

*Cartesio
allata
hoc urgeo
difficilimam
interim hic
magno-perè
non commendo
argumenta
à Cartesio
contra
Atheos
allata
hoc urgeo*




excogitat, nihilominus tamen sunt oppugnandi & solvendi solubiles illorum (tractabilium puta) nexus, firmæque rationes ad illos convincendos adducendæ, quibus si nolint cedere, pergant quàm obstinatè possunt in sua duritie, erit, quo indurati liquefcent olim, ignis. Vid. David Derodon in *Atheos & Dei Contemptores tract. singular. p. 12. seqq.*

§. IV. Novum nunc crimen! Ex dubitatione enim Cartesii Atheismi thronus erigitur. *Supponam (inquit ille) non optimum Deum esse fontem veritatis, sed genium aliquem malignum, eundemque summè potentem & callidum omnem suam industriam in eo posuisse, ut me falleret. Putabo cælum, aërem, terram colores, figuram, sonos cunctaque externa nihil aliud esse, quàm ludificationes somniorum. Considerabo me ipsum tanquam manus nō habentem, non oculos, non carnem, non sanguinem, non aliquem sensum, sed hæc omnia me habere falsò opinantem. Hoc dubitare vocant vastissimum intrare pelagus, & in altissimos descendere fluctus, è quibus revocare gradum paucis concessum. Hinc etiam Nemini sua serim hanc dubitationē, nec suadet Cartesius, eò quod pauci ejus mentem fuerint affecuti, multosque deliros & phreneticos pepererit sinistra dubitationis acceptio, id quod & aliis scriptis accidere solet. Sit autem sui ipsius interpret Cartesius. Nunquam docui (inquit in not. ad Program. de mente Human.) Deum esse negandum, vel ipsum nos posse decipere, vel de omnibus esse dubitandum, vel similia, que à calumniatoribus imperitis aliquando mihi objecta sunt, sed omnia ista expressissimis, verbis*
rejeci

Cartesio ex-
probrari solet
Dubitatio
de Deo,


Sententia
Cartesii de
dubitatione
refertur, unà
cum ejus
Apologia,



rejeci & refutavi, quod ut commodius & efficacius
præstarem, proposui initio meditationum mearum ista
omnia tanquam dubia, quæ non à me primum fuerunt
inventæ, sed à Scepticis dudum decantata. Quid autem
iniquius, quàm tribuere alicui scriptori opiniones, quas
eo fine tantum refert, ut refutet? Quid ineptius, quam
fingere saltem isto tempore, quo istæ falsæ opiniones pro-
ponuntur, eas doceri, atque ideò illum, qui refert Atheo-
rum argumenta, esse Atheum temporarium? Quid
magis puerile, quàm dicere, si moriatur interim, prius-
quam speratam suam demonstrationem scripserit vel
invenerit, eum atheum moriturum, ipsumque in ante-
cessum perniciosam doctrinam docuisse? Dicet fortè
aliquis, me istas falsas opiniones non retulisse tanquam
meas; Verùm quid hoc refert? quandoquidem in eo-
dem libro, in quo ipsas retuli, omnes refutavi, atque ex
ipso libri titulo potuit intelligi, me ab iis credendis esse
planè alienum, quandoquidem in eo demonstrationes
de existentia Dei promittuntur. Estne aliquis adeò
stolidus, ut existimet, eum qui talem librum componit,
ignorare, dum primas ejus paginas exarat, quid in se-
quentibus demonstrandum susceperit? objectiones au-
tem tanquam meas proposui, quia hoc exigebat stylus
meditationum, quem rationibus explicandis aptissi-
mum judicavi. Quæ ratio si nostris censoribus nondum
satisfacit, velim scire, quid dicant de sacris literis,
cum quibus nulla humana scripta sunt comparanda,
quando vident non nulla, quæ non possunt rectè intelli-
gi, nisi supponatur tanquam ab impiis, vel saltem ab
aliis quàm à Spiritu S, vel à prophetis, dicta esse, qualia
B sunt:

B

sunt:



sunt: Eccl. II. Nonne melius est comedere & bibere, & ostendere animæ suæ bona de laboribus suis. Et C. seq. dixi in corde meo de filiis hominum, ut probaret eos Deus & ostenderet similes esse bestiis. Idcirco unus interitus est hominis & jumentorum, & æqua utrisque conditio, &c. An credunt Spiritum Sanctum ibi nos docere, ventri esse indulgendum, animasque nostras non magis esse immortales, quàm brutorum? non puto eos adeò esse furiosos. Sed neque debent etiam calumniari, quod iis inter scribendum non usus sim cautelis, quæ nunquam ab ullis aliis scriptoribus fuere observatæ, nec ab ipso Spiritu Sancto. Hæc de dubitatione ipse Cartesius, qui multas controversias, unum vel alterum verbum meditationi primæ inferendo, potuisset præscindere, verùm peculiare genus scribendi sibi delegit, ex quo quî Atheismi convinci possit, non video. Dico autem, reo uti aliàs ita & hic favendum potius esse, quàm actori. Hoc dum ago, scripta ejus nondum ab omni prorsus errore libero, nam & auro non rarò miscetur plumbum, & generoso vino vanissima adhæret vappa, noto inter alia hoc insigne ejus παραδόξον: Deus est à se positivè, quanquam id Caramuel Theol. intent. l. I. c. 4. Disp. 2. excuset, dicens: Cartesius benigne legendus & interpretandus est, cum ait: Deus est à se positivè. Ipse enim exposuit suam mentem dicendo: Se his verbis non intelligere esse à se productum sed totam suam entitatem positivam esse à se, hoc est, non habere causam efficientem. Accedit & hoc, profecisse eum non legendo sed meditando, & ideò verba non sem-

Quomodo
Caramuel
excuset Car-
tesii loquen-
di modum:
*Deus est à
se positivè.*


semper eo sensu accepisse, quo scholæ acceperunt. Quare verò Scholarum more non est locutus? dicam: quia sibi indecorum esse putabat, illarum terminos curiosè nimis didicisse. Scilicet! Aquilæ non captant muscas! οὐκ ἔμελλεν ermerfit, quanta quanta est vulgaris philosophia! ἔργον δὲ verò delapsa Cartesii, suscipienda tanquam θεῖον δῶρον! sed de his in seqq.

Qu. II. Quid de vulgari Philosophia sentiat Cartesius?

§. I.


IN Epistola ad Princip. Philosoph. Interpretem Gallicum ait: *Veritatem indagaturus Logicæ operam dare debet, non illi, quæ in scholis docetur, ea enim si propriè loquamur non nisi dialectica quædam est, quæ modum docet, ea quæ jam scimus, aliis exponendi, vel etiam de iis quæ nescimus multum sine iudicio loquendi, quo pacto bonam mentem magis corrumpit quàm auget. Verùm illi, quæ docet rectè regere rationem ad acquirendum cognitionem veritatum, quas ignoramus. Quænam verò est illa dialectica, quæ bonam mentem magis corrumpit quàm auget? num hætenus in scholis recepta? minimè! ad eam enim si mens omnia accuratè amussitet, perficitur potiùs, quàm corrumpitur, statuitque sibi certos limites, regulam & amussim, ad quam exigat, quod produci debet, ne quidvis vagè & sine lege admittat, neque quodlibet ex quolibet inferat. Hoc est illud tribunal, ad quod sisti debet omne dubium atque obscurum, ut vel lu-*

Cartesius
 vulgarem
 Logicam im-
 merito per-
 stringit.





Inanes Dia-
lecticorum
lites non sunt
impntandæ
Dialecticæ.

cem sustineat, vel in tenebras sese recondat, unde fuit
ascitum; Et sanè cessit illud non semel feliciter, cum
hoc artificio lucifugi Papæi aliique in lucem protra-
cti sunt, atque hinc bona logica illis tædiū esse cœpit
atque flagellum. Quod verò multi multa sine iudicio
de rebus sibi incognitis ex Dialectica litigiosè lo-
quantur, id non Dialecticæ, cui sua manet dignitas,
verùm ei, qui eâ malè utitur, tribuendum est, hic enim
meritò audit inanis & nugax disputator, qui insanam
disputando mentem prodit, eandemque magis atque
magis corrumpit. Producerem vel ipse hic loci quod
vidi, exemplum hominis, qui h. m. disputando &
mentem & disputandi leges quàm fœdisimè fœda-
bat. Erat magnâ eruditionis opinione suffarcinatus,
atque livoris spiritu temulentus furere videbatur.
ridiculus furor erat, & tamen mirum quantum homo
suis sibi nugis placebat, publicè sc. invocabat testes,
testaturos etiamnum de dementia, quam tum tem-
poris faciebat testatissimam. Cùmque tandem (di-
gnum risu) omnes suas ineptias ineptè & impuden-
ter effudisset, mirificè & magnificè sese circumspi-
ciebat, dispiciebatq̃, an nemo esset, qui Chrysippæū
& immane quantum supra hominem ascendens acu-
men miraretur! Sed hunc dimitto, saniozem ei men-
tem pro corrupta precans. Tali modo disputantes
si Cartesius unâ cum sua Dialectica reprobaret, non
haberet nos Contradicentes. Verùm is, nimium
derogans receptæ logicæ, commendat aliam, quæ in-
quit, *quia ab exercitatione maximè pendet, consultum
est, ut ad ejus regulas in usum referendas, diu se quis*
in



in facilibus, simplicibusque Qq. cujusmodi sunt mathematicæ exerceat. &c. Qualis hæc tandem futura est logica? fortè talis, quæ non ex notis infert ignotum, sed eundo per omnes res in particulari ad universalia demum procedit, illis enim omnibus clarè & distinctè cognitis, horum ex illis necessarius fluxus interverti nequit. Res eò redit, ut vi hujus logicæ dicatur: *Nil facile credendum, sed iis demum assentiendum esse, quæ clarè & distinctè percipiuntur, ita ut nullo modo in dubium vocari possint.* Hi artus sunt & nervi sapientiæ Cartesianæ, quos tamen ipse Cartesius sui fortè oblitus in Resp. ad Quart. obj. incidit, securè admodum credens traditioni de pane eucharistico in carnem converso, scribit enim de Transubst. *Hocque aliquando contigisse memoriæ proditum est, cum loco panis consecrati caro vel puer in manibus sacerdotis apparuit.* O Credulum, si hæc credis! quomodo enim illa sic contigisse clarè & distinctè percipis? Dices: Viros fide dignos id tibi narrasse, Sacerdotè vidisse. At illi Monachi fuere, anilium næniarum fœcundi. Hic simplex fuerit, si soli visui credidit, qui tamen toties fefellit. Quid obstat, quo minus dicam, hunc puerum machinam quandam fuisse artificio humano factam? Fabricarent hodienu adhuc Kircher. & Rosat. non pueros solum, sed & angelos mira arte volantes. Quid si ergo per artificio fabricantium talis Angelus in manibus sacerdotis appareat? num credes propterea, panem in angelum mutatum? adeò credulum te non credam. Suggestit mihi hanc instantiam nō imus inter Cartesianos, Florent, Schuyt, me-

Cartesius impugnavit proprium principium de clara & distincta perceptiones.



Quædam automata referuntur, quæ visum dubium reddere possunt,

memorans Joh. Regiomont. aquilam ligneam, quæ in aëra sese recipiens, Imperatori Norimbergam tendenti viam monstravit; & ferream statuam, quæ per varios anfractus ad regem de Marocco accessit, flexisque genibus, oblato libello supplici, libertatem auctori suo imploravit. Idem F. Schuyl producit ligneam Dædali venerem, quæ infuso argento vivo veluti sanguine progressa dicitur, aliaque automata ambulancia quæ visum reddunt dubiū, suppeditata à Cartesio in Meditationib⁹. Add. nunc *Acta Erud. Lips. de An. 1708. p. 183.* Argos aliàs fuit Cartesi⁹ & nimium quàm oculatus, nec tamen commentum Monachorū esse vidit. Hoc scilicet est, statuere constanter & firmiter regulas logicas, à quibus ne semel quidem toto vitæ tempore deflectendum; Turpe est præscribere leges, quas ipse prim⁹ transgrederis. Dixerim tamen, Cartesium hæc non credidisse, nisi irrefragabilis ab ipso allegatæ Syn. Trid. Sanctitas sanctam hanc credulitatem sub fulminum minis ei extorsisset. Sed aliò convertenda est opera nostra.

§. II. *Ope princip. Peripat.* (inquit Schol. Cartes.) *ne unica quidē questio fuit soluta.* Quid ais? num omnes ante Cartes. incassum laborarunt? num in accurata rerū in vestigatione Aristoteles semper à veri tramite aberravit? Revincerem hæc ex multis Aristot. capitibus, nisi sua jam vanitate & inanitate caderent, id observo: Cartesium in multis nihil ampli⁹ præstare potuisse quàm Arist. demonstrabo ex part. 4. princ. ubi ita Cartesius scribit: *Quamvis fortè hoc pacto intelligatur, quomodo res omnes naturales fieri potuerint,*

Cartesius in multis nihil amplius præstare potuit, quàm Aristoteles,

non



non tamen ideò concludi debet, ipsas reverà sic factas esse, satis enim à me præstitum esse putabo, si tantum ea quæ scripsi talia sint, ut omnibus nature phenomenon accuratè respondeant. Confer cum his quæ habet Arist. l. i. Meteor. c. 7. De iis ait, quæ sensu non sunt manifesta, se putare sufficientes rationes & demonstrationes afferre, si tantum ostendat, ea ita fieri posse, ut à se explicantur. Esto autem, errarit in multis Aristoteles (cùm in nulla re errare potius divinitatis sit quam humanitatis) num ideò prorsus explodenda erit ejus Philosophia? absit! Regeres scio, intelligenda esse supra dicta de principiis Perip. quatenus Peripat sunt. Quid verò videtur, quid? si quis idem de principiis Cartesii, in quantum ejus sunt diceret, eaque talia quibus errores perennè duraturos tutò inædificare liceat, assereret? *Sed hoc, (ais) nunquam de Cartesii principiis quatenus Cartesii sunt verificabitur.* Bene loqueris, & ego in hanc rem pro te afferam rationes evincentes Cartesii principia non semper esse, quæ pro illius venditantur. Quod ut præstem, produco Diog. Laërt. de Vit. Phil. Hic ita de Anaxagora: ἔτι ἔλεγε τὸν ἥλιον μύδρον εἶναι διάπυρον, καθάπερ γὰρ ἐκ τῶν ψημάτων λεγομένων τὸν ζεῦσον συνεστάναι, ἔτις ἐκ τῶν ὁμοιομερῶν μικρῶν σωμάτων τὸ πᾶν συνεκρίσθαι, τὰ ἄστρα καὶ ἀγχαῖς μὲν θολοειδῶς ἐνεχθῆναι, ὥστε κατὰ κερυφὴν τῆς γῆς τὸν αἰὲ φαινόμενον εἶναι πόλον, ὑπερον δὲ τὴν ἐκλησιν λαβεῖν, βρόντας σύγκρυσιν νεφῶν &c. Et ipsum produco Cartesium part. 3. princ. Suppono (inquit) omnem illam materiã, ex qua hic mundus aspectabilis est compositus, fuisse initio à Deo divisum in particulas quàm proximè
inter


Quædam
Cartesii prin-
cipia esse pu-
tantur quæ
olim Anaxa-
goras docuit.



inter se æquales, & magnitudine mediocres, five medias inter illas omnes, ex quibus jam cœli atque astra componuntur, easque omnes tantundem motus in se habuisse, quantum jam in mundo reperitur. vid. art. 46. 21. seq. Quod ad tempestates attinet (scribit Meteor. c. 7. p. m. 245.) quæ tonitru, fulgure, turbinibus & fulmine comitatæ esse solent, quarum nonnulla exempla in terra notare potui, non dubito, quin oriuntur ex eo, quod cum plures nubes tabulatorum instar, unæ aliis superstratæ sunt, interdum contingit, ut superiores magno impetu in inferiores dilabantur. Ovum ovo tam simile non est, quàm opinio Anaxagoræ & Cartesii: tantam autem apud saniores fidem meretur, quantam ejusdem Anaxagoræ Conjectura, cœlum omne ex lapidibus esse compositum, ac vehementi circuitu constare, aliàs continuò summa vi ac impetu collapsurum. Interim miror, Cartesium multa ex antiquis Philosophis securè descripsisse, eaque ut antiquitati ignota, & planè nova erudito orbi obtrufisse.

§. III. Profundius nunc me immittam in hanc Philosophiam, formas substantiales ante omnia contemplaturus. Non referam autem varias variorum opiniones, sed dicam, quæ de illis fuerit mens Cartesii, omnes ille, exceptâ animâ humanâ rejicit, motus sequentibus rationibus: Si sunt & dantur formæ substantiales, aut erunt cogitativæ, aut extensæ. Si prius, erunt spirituales, intrinsecè nullum corruptionis principium habentes, quo stante ad immortalitatem usque eas extollere nihil vetabit. Etenim quæcunque
sub-

Producuntur
argumenta,
Contra formas substan-
tiales,




Substantia in sua natura est immaterialis, illa erit spiritualis, quia omnis substantia immunis à materia est spiritus, omnis autem spiritus est immortalis in se, nec annihilari potest, nisi ab aliquo extrinseco. Sic unaquæque res (secundum leg. natur.) quatenus est simplex & indivisa, manet quantum in se, in eodem semper statu, nec unquam mutatur, nisi à causis externis. Quæ verò hîc causæ externæ dari possunt? Frustra Deus producit, cum nihil moveât summè constantem & sapientem, creare talem formam, & creatam rursus corrumpere. Et quid misera commisit forma? Cur hæc annihilatur potius à Deo, quàm corpus multò ignobilius? Frustra etiam ad creaturas recurritur. Quod enim excedit vires creaturarum, id illis attribui nequit, annihilatio autem excedit vires creaturarum. E. Et si creaturæ rem aliquam possent annihilare, quidni & eandem ex nihilo reproducere possent, cum utrumque sit infinitæ potentiæ? adeò clara hæc sunt, ut propterea multos formarum acerrimos propugnatores jam dudum istius opinionis puduerit. *Sin Posterius*, jam corpora sunt, omnis enim substantia materialis & extensa corpus est, seu materia. Et hoc volunt discipuli Cartesii, accuratè tamen distinguentes inter crassam & subtilem, maximèque agilem materiam, ex qua omnes operationes formæ tribui solitas demonstrant, cui rei aliquantisper adhuc immorari libet. Nihil verò dicam de corporibus inanimatis, sed animalium operationes considerabo, visurus num illæ à principio corporeo provenire possint.

§. IV. Age ergò, quod motum & calorem membrorum concernit, eorum causam deduco ex seq. hypoth. Suppono sc. sanguinis circulationem, felicissimè ab Hervæo jam pridem detectam. Suppono etiam, animalium calorem in hoc consistere, quod habeant in corde ignem quendam non lucidum, ejusque non absimilem, qui in aqua forti injecta pulveris chalybei satis magna copia, excitatur, nec non illius, qui in fermentationibus observatur. Hujus ignis pabulum est sanguis,

C

fin.

Motus & calor membrorum num sit à machina corporis, an verò ab anima?





singulis momentis in cor influens, ubi calefactus per arterias
 illicò fluit in cæteras corporis partes, iisque calorem impertit.
 Vividiores autem & subtiliores sanguinis partes ingrediun-
 tur indefinenter & maxima cùm copia cavitates cerebri, ibi-
 que componunt spiritus animales corpora tenuissima, instar
 venti subtilissimi aut flammæ purissimæ, quæ celerrimè (ut
 partes flammæ ex face exeuntes) moventur, neque unquam
 consistunt, sed postquàm ingressa fuère, alia rursus egrediun-
 tur. per poros ea in nervos & inde in musculos deducuntur,
 vid. c. 4. Dioptr. Cart. Dicunt verò, animam esse hujus motus
 primam causam; Et sanè fatendum est, animam quando vult,
 posse corpus (positis ponendis) impellere, sed nec hoc diffiteri
 oportet, corpus non potè impelli quando anima non vult. Esto
 exemplum: Si quis citò extenderit manum in oculos nostros,
 tanquam nos verberaturus, quamvis sciamus eum nobis ami-
 cum, & non nisi joco id facere, abstenturumque ab omni malo
 nobis inferendo, vix tamen possumus nos cohibere ab illis
 claudendis. Dicendum ergò, machinam nostri corporis ita
 constructam esse, ut motus illius manus ad oculos nostros ex-
 citet alium motum in nostro cerebro, qui deducat spiritus
 animales in eos musculos, qui palpebras deprimunt. Taceo
 quod varii motus in automatis humanâ industriâ fabricatis
 edi possint, idque ope quarundam rotularum vel instrumen-
 torum, numero paucissimorum, si conferantur cùm innume-
 ra multitudine ossium arteriarum venarum, musculorum,
 nervorum, aliarumque partium organicarum, quæ in humani
 corporis machinamento infinities melius ordinatæ advertun-
 tur. Esto verò in homine motus ab anima, sicut nec ego mo-
 rosè negabo, nihil tamen eum coget eodem modo asserere in
 reliquis animantibus, nisi & flammæ, quæ sola plus habet calo-
 ris & motus quàm ullum ex membris brutorū, talem animam
 velis tribuere. Et quid multa cumulo? Si anima est eaque
 indivisibilis, quæ bruti movet corpus, quid de scolopendra di-
 cendum erit, quam ajunt capite à reliquo corpore dissecto per
 mensam & ultra adhuc vitam trahere, progredi, fugere &

Anima inter-
 dum corporis
 motum non
 potest cohi-
 bere, etiamsi
 velit.

Motus in dis-
 sectis Scolo-
 pendræ parti-
 bus non pos-
 sunt esse à
 forma squadā
 indivisibili.

pro-



prosequi? num unica anima movebit utramque scolopendræ partem? Cur tacta stylo altera pars se torquet, altera interim nihil sentit, suosque motus alibi tranquillè peragit, nisi quod & anima hîc divisa suæ materialitatis luculentum det testimonium. Confirmat etiam illustrium virorum *αὐτοψία*, in indefinitas divisam partes scolopendram variis adhuc modis fuisse agitatum. Aut igitur dic, hunc motum à principio materiali provenire, aut indefinitas finge animas, quæ Dæmonum instar Scolopendram obsideant, totiesque dissectam miris divexent motibus.



§. V. Rogabis, *quomodo tam nobiles actiones, quales sunt cogitatio, cognitio, visio & similes ex tam ignobili causa, qualis est calor naturalis, &c. explicari possint?* Sed & hoc Cartesianæ philosophiæ monstrat, negando in brutis cogitationem &c. Si enim in illis cogitatio, quid ni eandem manifestarent? Nam ubi non est defectus organorum, ibi cogitatio manifestari potest, jam verò hîc ita se res habet, & organis ad loquendum quædam bestiarum abundè sunt instructæ, neque tamen vel astutissima earum tria numerare, vel etiam voce nutuque suos conceptus exprimere didicit, ut sc. ostendat, se intelligere, quid dicat, unde nec verbis docentur, sed clamoribus vel sonis, verberibus vel corrasione stomachorum, illisque motibus, quibus illi bestiarum muscoli ad agendum proritantur, quorum exercitium desideramus. Interim concedendum, bruta in quibusdam melius agere quàm nos, sed id mirandum non est, cùm ex eo solùm probetur, illa naturaliter & per organa agere, non aliter ac horologium, quod horam accuratiùs indicat, quàm nostro iudicio assequimur. Quæ actiones aliàs objici solent, eæ tales sunt, ut instinctui naturali optimè tribui possint. Sic instinctus naturæ est, quo quædam bruta ad sepelienda cadavera feruntur, nec quicquam magis admiratione dignum habet, quàm canum & felium instinctus, cùm excrementa sua sepulturi terram scalpunt, quod agunt etiam non cogitantes. Si tamen fingamus, bruta cogitare & cognoscere, quàm exiguam inter illa hominemque relinquemus differentiam! quid? quod ita fas sit, ea

supra

Obiectio,

Solvitur,

In brutis non datur cogitatio, sed omnes eorum operationes à machina corporis dependent,



Opinio brutis cogitationem tribuens, exiguam inter ea & hominem differentiam relinquit,

Quomodo visio fiat in animalibus.

Anima brutorum est sanguis in eorum corde calefactus & quasi attenuatus in Spiritum, ab arteriis per cerebrum in nervos se diffundens.

supra hominem extollere, cum eorum cognitio, ut ajunt, apprehensiva sit & simplex, nulli falsitati obnoxia, sicut rationis, quæ per Syllogismorum ambages fertur. Crederem sanè, has formas (si tamen illas crederem) ad eum modum cognoscere, quo multi angelorù cognitionem apprehensivam, nullisque discursuum involucris alligatam fieri dicunt, sed tamen verer, ne sic statuendo deridiculæ prorsus sum vanitatis.

§. VI. Unicum de visione brutorum restat, quæ quomodo fiat, hic operosè non explicabo, vid. si placet *Cart. c. 5. Dioptr. de Imaginibus qua formantur in fundo oculi*. Id tamen dico: Bruta non vident, ut sentiant, se videre, sed tantummodò sicut nos, dum mente alio avocata, licet objectorum externorum imagines in retina nostra pingantur, eorumque impressiones fortè in nervis opticis factæ ad diversos motus membra nostra determinant, nihil tamen prorsus eorum sentimus, quo casu movemur, ut automata, ad quorum motus ciendos vis caloris sufficit. His responsionibus si forsan Cartesiani non omnes de visione &c. difficultates possint ex asse tollere, nequaquã tamen concedent in contrariã sententiam. *Cur enim, inquit, formis occultis nec ab ipsis adversariis intellectis tanquam ignoto Deo litemus, & non potius rerum naturalium causas accuratius investigemus? per hoc enim ignota Veteribus veritates non pauca sunt detecta.* Atque hæc hæctenus ex mente Cartesii ejusque sequacium differere libuit. Summa huc redit, ut dicam; *animas brutorum nil aliud esse, quàm sanguinem, nempe illum, qui in eorum corde calefactus & quasi attenuatus in spiritum, ab arteriis per cerebrum in nervos se diffundit* vide Deut. XII, 23.

Quid de his omnibus mihi videatur, dicam dissertat. *pecul. Insinuasse hìc sufficiat: difficile esse, sine formis explicare omnes brutorum actiones, & qui id præstiterit, hunc magnam superasse difficultatem meritò dici. Sudarunt enim & defatigati sunt magni in hoc stadio Hectores, adeò, ut acceptas inde molestis illo Digb. *Philosophia nostra nondum est absoluta, tandem solati fuerint.**

FINIS.